

rarur, & nō offerat, avaritiæ, aut etiam injuſtitia quamdam notam ſe incurſurum; quaſi ſubtrahantur ea, è quibus Sacerdotes vivere debent.

XXII. Quis verò ſat eloquatur, quæ inde pauperum, præſertim quorum paupertas publicè nota non eſt, murmura atque obloquia; quod nihil in Eccleſia gratis dari videatur; omniaque ad Sacerdotum quaſtum ac pauperum oppreſſionem in Eccleſia appareant inventa.

XXIII. Denique juſtum non eſt, plebi populoque gravamina, indices excreſcentia continuè & ſine intermiſſione per Eccleſiaſticos injici; quod contingit, dum Monaſteria & Capitula Decimas à plebe ac populo recipiunt; nec ſufficientem ex illis, Parochis cæteriſque curam animarum ſuſtinentibus portionem aſſignant; ſed eos cogunt, ut emendicatis, & quaſi extortis plebis oblationibus ſuſtentationem quaerant; atque ita ultra Decimas Parochorum ſuſtentationi ſufficientes, miſera plebs ad ſimiles oblationes ſenſim cogitur; cum tamen Decimis ſufficientibus ab omni ulteriori contributione pro Parochi alimentatione plebs abſolvi deberet.

XXIV. Ut itaque hæc aliaque incommoda præveniatur, congrua portio ita determinanda, & taxanda, ut Sacerdotes liberali animo, & ab omni ſpe temporalis retributionis libero poſſint Sacramenta populo adminiſtrare; quemadmodum ſeculo præterito deſiderabant, & monebant patres Concilii Colonienſis anno 1536.

XXV. Hi qui dem volentes de victu Parochorum diſpicere, præmittendum duxerunt, quod Chriſtus docuit, & ſacri Canones maximè ſeriò percipiunt, nempe ut Sacramenta Eccleſiaſtica gratis miniſtrentur.

Sed quia prævidebant id haud facile obrinendum, niſi portio congrua Parochis detur, quæ eos ad quaerenda vitæ ſubſidia ex adminiſtratione Sacramentorum non cogat, immediatè ſubjungunt: "At cum lex divina præcipiat, non alligandum os bovi trituranti. . . . diſpicendum eſt, ut Parochis Evangelii prædicatori- bus certa ac competens ſubminiſtratio victus & veſtiti- tus fiat, idque ad eum modum, ne in adminiſtrandis Sacramentis quidpiam exigendo oneri ſint Parochianis." parte 8. cap. 2.

XXVI. Et alterum Colonienſe Concilium anno 1549. Medio III. capit. 10. "Si portio Vicariorum ſit acciſa, nec ſufficiat, ut honeſtè ac decenter ex ea viva- tur, ne ea cauſa ſit cur animæ negligentur, aut deſeratur officium, vel ad curas ſordidas Paſtor ille pro victu comparando adgatur, mandat & decernit, ut juſta portio ſecundùm reformationem ei de Decimis Col- legii vel Monaſterii bonis aſſignetur, ſive per Episcopum loci, ſive per ejus viſitatores.

XXVII. Inter articulos qui nomine Caroli IX. ad reformationem Eccleſiæ oblati fuere Patribus Concilii Tridentini erat hic 16. "Ut à Sacerdotali ordine ſordes omnes, & omnis avaritiæ labes procul expellantur, nec ullo prætextu pro rebus Divinis quidquam exigatur, curet Episcopus, aut per unionem beneficiorum, aut Decimarum aſſignationem; & ſi id fieri non poterit commodè, Principes provideant, ut per Parochianorum ſymbola & collectas, Plebanus, & cum eo duo aut plures Clerici habeant, unde vitam congruè traducant & hospitalitatem præbeant.

XXVIII. Hæc ſat evincunt, creditum fuiſſe, nequaquam ſperandum eſſe, ut Sacramenta omninò gratis adminiſtrentur; nec pro rebus divinis quidquam exigatur, vel à Sacerdotali Ordine ſordes omnes & omnis avaritiæ labes procul expellantur, niſi Sacerdotibus portio talis aſſignetur, quæ independentè ab oblationibus in Sacramentorum adminiſtratione recipendis, ſit verè congrua & competens. Quare in nullis Synodis legitur, portionem congruam ex ſimilibus oblationibus conſtandam.

XXIX. Quam indignum, quamque pernicioſum ſit,

Sacerdotes debere ex quotidianis Miſſarum ſtipendiis victitare, latè oſtendimus ſupra titulo 5. cap. 6. Ex quo facile intelligi poterit, non minus, imò magis indignum eſſe, & pernicioſum, hæc honoraria Miſſarum imputari in portionem congruam, quam oblationes in adminiſtratione Sacramentorum dari conſueverat.

XXX. Meritò ergo ſolicitè ſunt Episcopos, alique etiam Civiles Magiſtratus, quibus aſſignatio portionis congruæ incumbit, ut de illa Sacerdotibus curam animarum ſuſtinentibus eo modo provideatur, ut omnes illæ ſcabiola & ſordidæ exactiones à Sacerdotali Ordine procul repellantur; neque Sacerdotibus neceſſitas quodammodo injiciatur, ob defectum ſubſidiorum temporalium ad illas deſectendi.

XXXI. Sanè ſi decimæ ſint ſufficientes ad portionem congruam, nequaquam æquum eſt, ut Decimatores curam animarum non ſuſtinentes decimas percipiant, & Sacerdotes in cura animarum laborantes ad hæc ſcabiolaſas exactiones à neceſſitate cogantur; ipſaque plebs ad eas dandas quodammodo cogatur.

Unde de his ſuſpectis exactionibus in adminiſtratione Sacramentorum loquens Chriſtianus Lupus Diſſertatione 2. proœmiali ad totum 3. Schol. in Canonibus cap. 7. ait: "Episcopos & alii jam dictas decimas poſſident, Prælati, eorumque Capitula & Monaſteria, RIGIDUM coram Deo onus portant dandæ Parochis ſuſtentationis integræ, & MISERAS plebes liberandi ab exactionibus variis, SUSPECTIS & OFFENSIVIS, ad quas iſti à paupertate coguntur.

XXXII. Si verò decimæ non ſint, ut in civitatibus nonnumquam contingit, poterit Parochis, aliſque Sacerdotibus de portione congrua provideri per Beneficiorum potiùs unionem vel ſuppreſſionem; quæ in civitatibus ſolent eſſe frequentiora.

Et ſanè dolendum, quod videamus plurimos paſſim in civitatibus ſeu Capellanos ſeu Canonicos otioſam planè, quin rarò ſcandalofam & mollem vitam ducentes ex proventibus Eccleſiaſticis; & parochis ac Sacerdotibus curam animarum ſuſtinentibus & ſtrenuè laborantibus vix vitæ neceſſaria ſubminiſtrari; & quaſi mendicos ferè ex oblationibus illis & honorariis victitare debere. Qualis abuſus! Meritò omni modo Superiorum auctoritate extirpandus!

XXXIII. Præter hæc incertas planè & ab arbitrio ac plena populi liberalitate pendentes oblationes ſeu accidentia, ſunt alia quædam accidentia; quæ licet in ſua origine veram oblationum naturam habuerint, paulatim tamen in taxata jura, ad quæ etiam populus juridicè cogi ſubinde poteſt, tranſiverunt; qualia ſunt jura funera- lia; & quæ plerique in locis auctoritate Eccleſiaſtica & Civili conſtituta ac taxata ſunt; quemadmodum infra titulo De Sepulturis oſtendetur.

XXXIV. Hæc itaque accidentia, quia non omninò à voluntate & arbitrio populi dependent, & tamquam taxata jura paſtoralia annotari ſolent, non ita incerta ſunt; nec tot mutationibus obnoxia, quemadmodum oblationes illæ minutiores à mera liberalitate populi pendulæ; poſſuntque faciliùs computatis tribus aut quatuor retro annis ad certam ſummam redigi.

XXXV. De his accidentibus intelligendæ ſunt Synodi, dum in taxanda portione congrua rationem habere volunt accidentium, quæ ad certam ſummam communibus tribus vel quatuor annis ultimo præteritis redigi poſſunt.

XXXVI. Synodus P. II. Cameracenſis tit. De Decimis cap. 9. vult, "ut Ordinarius habeat rationem in aſſignatione (portionis) valoris bonorum cujuſve Parochiæ, quod urbes tantum eorum accidentium, quæ tribus aut quatuor annis ſimul computatis aequaliter ad ſuum valorem in ſingulos annos reduci poſſunt.

Non

Non ſat liquet, num tò tantum referatur ad vocem accidentium, an verò ad vocem urbes: ut ſenſus eſſet; tantum quoad urbes rationem accidentium illorum habendam eſſe.

Et revera non obſcura ratio eſt, cur potiùs horum accidentium haberetur ratio in portione parochorum in urbibus, quam in pagis. Cum enim hæc accidentia, ſive jera funeralia auctoritate ſuperiorum taxata & populo impoſita habeant ſpeciem quamdam collectarum, æquum non apparet, ut hæc populo imponantur, ubi decimæ ſunt ſufficientes, ut in pagis eſſe ſolent; ſecus in civitatibus, ob abolitas jam pridem decimas perſonales.

XXXVII. Addit eadem Synodus cap. 10. "Si tamen in aliquibus locis, accidentia in aſſignationem non venire jam uſu receptum fuerit, declarat ſacra Synodus, ſuæ intentionis non eſſe, ut ab illo uſu in præjudicium paſtorum recedatur.

Hic non obſcurè inſinuat Synodus, non eſſe omninò ex voto, quod hæc accidentia in competentiam Paſtorum impurentur; ſed id potiùs ex neceſſitate tolerari & admitti; cum ſcilicet aliter parochorum & Parochiæ neceſſitatibus ſuccurri nequit.

Nec mirum: cum nemo neſciat, quam malè ſæpè apud populum hæc jura ſive accidentium exactio oleat, & populum offendant; quamque ſacri Canones exhorreant, quod Sacerdotibus ex mortuorum cadaveribus ſua compendia quaerere videantur; uti latius infra titulo De Sepulturis oſtendetur.

XXXVIII. Rebuſſus in Tractatu de portione congrua n. 87. fatetur, incerta poſſe in portione computari, ſi poſſint ad certam ſummam reduci; addit tamen: Sed non ita exactè computantur ſicut certa.

Neque revera cum ea exactitudine, hæc accidentia ob eorum incertitudinem computari poſſunt, ſicut certi proventus: neque etiam convenit, ut cum omni rigore eorum valor imputetur: ne aliàs Parochus à neceſſitate quodammodo coactus, jubeatur illa etiam cum nimio rigore à ſuis Parochianis, non ſine offentione, & nota avaritiæ exigere.

CAPUT VII.

Per quos, & coram quibus Portio congrua petenda?

1. Vicarius perpetuus habet jus petendi portionem congruam.
2. Parocho negligente quando Episcopos aſſignationem portionis urgere queat?
3. Episcopos vi ſui officii allaborare debent, ut Eccleſiis Parochialibus de portione congrua ſit proviſum.
4. Id indicant Decretales, & Synodus Tridentina.
5. Parochiani portionem congruam pro Presbyteris ſibi neceſſariis petere poſſunt.
6. Synodus Antverpienſis vult ut Communitas agat ad portionem congruam.
7. Etiam pro Presbyteris Parocho in adiutorium adiungendis.
8. Portio congrua ſubinde aſſignata pro pluribus Presbyteris non habito iudicio Ordinariis.
9. De jure cognitio de portione congrua ſpectat ad Ordinarium.
10. Queſtio de portione congrua in poſſeſſorio hodie agitur coram iudice regio.
11. Index laicus provisionaliter pronuntiat ſuper portione congrua.
12. Ediſtum Regis Galliæ reſervat cognitionem iudicibus Regiis.
13. Ediſtum Principum noſtrorum vult per Regios Ma- Van Eſpen Jur. Eccl. P. II.

giſtratus executioni mandari quod per Ordinarios fuerit determinatum.

14. Eodem Ediſto mandatur Magiſtratus Regis ut Ordinariis defectuoſis in aſſignanda portione, ipſi provideant.
15. Quomodo conformiter ad hoc Ediſtum ſoleat portio congrua peti.
16. Sententia proviſionalis Senatus Regiis qualem effectum habeat.
17. Petitorium ſuper portione congrua hodie inſtitui non ſolet.
18. Dum portio congrua petitur ſuper decimis infeudatis, etiam petitorium ſpectat hodie ad iudices Regios.

Portionem congruam peti poſſe per Vicarium perpetuum, in cujus ſuſtentationem principaliter cedit, dubium non eſt. Imò non tantum ſuis propriis neceſſitatibus, ſed & Presbyterorum, qui ad curam animarum laudabiliter exercendam neceſſarii ſunt, ſufficientem petere poſſe, ſupra cap. 2. notavimus.

II. Si Parocho ſeu Vicarius perpetuus eſſet negligens in adjungendis ſibi Presbyteris neceſſariis ad curam animarum laudabiliter exercendam; & Episcopos judicaverit propter amplitudinem & extensionem Parochiæ plures Presbyteros neceſſarios; aut in Eccleſia aliqua ſuccurſali requiri Presbyterum, qui ibidem reſideat, & populi circa illam Eccleſiam commorantis curam habeat, ob diſtantiam ab Eccleſia Parochiali, poterit Episcopos Parocho negligente ad portionem congruam cogere ipſos Decimatores, alioſve ad quos ejus ſolutio ſpectat. Quin & Vicarium hujusmodi Eccleſiæ Succurſali auctoritate Episcopos præpoſitum ad portionem congruam, Parocho negligente, agere poſſe judicatum reſert Joannes Tournetius Lit. P. num. 119.

III. Et ſanè cum interſit Episcopos, ut ipſis Eccleſiis Parochialibus ſit bene proviſum de idoneis Miniſtris; & his nihil deſit, quo minus cura animarum per ipſos laudabiliter exerceatur, dubitari nequit, quin Episcopos meritò omni modo allaboret & agat, ut portio congrua Vicario perpetuo, aliſque Presbyteris ad curam animarum ſuſtinentandam requiſitis aſſignetur.

IV. Id non obſcurè innuit Cap. 1. De Præbendis in 6. dicens, per Sedem Apoſtolicam olim conſtitutum, ut Diœceſani Eccleſiam ad præſentationem Religioſorum ad aliquam Eccleſiam recipiant, niſi tantum ei de proventibus ipſius Eccleſiæ coram eis fuerit aſſignatum, unde jura Episcopalia poſſit ſolvere, & congruam ſuſtentationem habere Ipſa quoque Synodus Tridentina ſeſſ. 7. cap. 7. item ſeſſ. 24. cap. 13. De Reformat. curam procurandi congruam portionem Episcopos committit.

V. Ad portionem congruam etiam agere poſſunt Parochiani ſive Incolæ Eccleſiæ Parochialis, eò quòd, uti rectè advertit Zypæus Conſult. 6. num. 1. De Parochiis, "ſua intereſt bonum habere Parochum; eumque commodius ſint ſemper inventuri, ſi dos detur liberalis. Quæ ex conſideratione, tamen licet Canones non poſſit accuſare Clericum; tamen licet laico Parochiano ſuum Prælatum denunciare. Plurimum enim intereſt laicorum, habere bonos Prælatos." Ita Zypæus ex Julio Claro aliſque ibi citatis.

VI. Et Synodus Antverpienſis ſub Miræo tit. 16. cap. 14. vult, quod ſi per Patronos Eccleſiis Parochialibus de portione congrua non fuerit proviſum, tunc Eccleſia Parochiali vacante, Communitas ipſa, curante ſeu momento Decano Chriſtianitatis, Episcopos, aut Officiali ipſius offerat libellum,

Aaaa 3

VII. Si

VII. Si Synodus velit per ipsam Communitatem offerri libellum pro habenda portione congrua ubi Ecclesiæ provifum non est de Pastore; quidam eadem ratione Communitas ipsa libellum offerre poterit pro portione congrua Presbyterorum, qui ultra ipsam Parochum pro sustinenda cura animarum sunt necessarii; si ipse Parochus, ob aliquod forsitan proprium interesse hanc portionem petere, & presbyteros assumere negligat? Atque ita ad petendam congruam portionem pro Presbyteris illis subsidiariis admittit Senatus Brabantiae Incolas Gelenfes in Diœcesi Bascoducensi, condemnavitque Decimatores, inter quos erat ipse Parochus, ad interpendos duos Presbyteros, quorum unus esset ad onus solius Parochi, alter vero ad onus aliorum Decimatorum assignatâ singulis portione congrua centum pataconum ultra accidentia Ita judicatum 14. Martii 1684.

VIII. In hac causa & illud notandum occurrit. Licet Decimatores opponerent, propriè ad Vicarium Apostolicum Bascoducensem spectare Presbyteros sive Vicarios ad curam parochiæ necessarios designari, ipsum vero hæcenus non judicasse, eos esse necessarios, nihilominus Senatus considerans Parochiæ illius amplitudinem atque extensionem, nec non populum ad eum esse numerosum, ut evidens esset unum Rectorem non posse sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ritè administrandis, cæterisque functionibus Pastoralibus obeundis, judicavit Parochi alios duos Presbyteros adjungendos.

IX. Sive jus commune, sive Concilium Tridentinum atque Synodos Belgicas spectemus, cognitio & determinatio portionis ad Ordinarium loci spectat; idque etiam contra exemptos Cap. 1. de præb. in 6. Clem. unica de jure Patronatus Concil. Trid. sess. 7. cap. 7. & sess. 24. cap. 13. de reformat. Ideoque etiam à Senatu Regio litigantes super hac materia ad Episcopum remissi fuere; ut videre est apud Broudeau in notis ad Lovetium litt. C. num. 48. & Choppinum lib. 3. de S. P. tit. 4. §. 8.

X. Verùm cum moribus Belgii & vicinarum Provinciarum obtineat, quod Episcopi de possessorio rerum etiam spiritualium, ac singulariter de possessorio Decimarum non cognoscant: ideoque nec per provisionem possessionem adjudicare queant; hinc fit, ut questio super congrua portione seu competentia hodie passim ad Judices Regios devolvatur; ut hi saltem per provisionem congruam portionem assignent.

XI. Unde Antonius Faber in Codice tit. de jurisd. omnium judicium desinit. 18 postquam dixit de congrua portione debito cognoscere judicem laicum non posse, quoniam ea res ad Ordinarii cognitionem pertinet, subjungit: "Obtinuit tamen præsertim apud Gallos, & apud nos, ut de eo Judex laicus incidenter saltem & provisionaliter pronuntiet. Neque id per usurpationem dumtaxat & sine ratione, ut quidam calumniantur, sed vel ob id maximè, quod cum his super petitorio coram judice Ecclesiastico magnas plerumque moras secum trahat, permittendum non est curionem & parochum laborare interim inopiâ & alimentis destitutum, necessariis animarum sibi commissarum curam salutemque deferere. Interest namque Principis & Rei publicæ provideri, ne quid tale accidat. Ideoque & ad Principem, Principisque Magistratus ea cura pertinet, non solum si parochus probeat se esse in quasi possessione percipiendæ congruæ portionis (qui casus nullam haberet dubitationem, cum etiam in beneficiis possessorii cognitio ad Judicem laicum spectet, ut sapinus diximus) sed etiam si nulla possessionis ejusmodi probatio adferatur.

XII. Et in Edicto Regis Galliæ de anno 1686. super portione congrua, executio ejusdem, nec non determinatio seu decisio difficultatum, quæ moveri possent super ejusdem intellectu, desinitur in prima instantia Balli-

vis & Senecallis Regiis, & in casum appellationis Curii Regiis.

XIII. Edictum Principum nostrorum ad Synodum Mechliniensem art. 15, injungit Judicibus Regiis, ut promptè & indilatè exequi mandent per suos apparitores, quidquid in hac materia congruæ portionis sive competentiæ Pastoralis fuerit vel provisionaliter vel definitivè per Episcopos ordinatum.

XIV. Ulterius eodem Edicto art. 16 declarant Principes, esse suam mentem, ut si contingat ipsos Ordinarios fore defectuosos in assignanda hac portione sive competentia ipsis Parochis, tunc licebit Pastoribus recurrere ad Concilia Regia suarum respectivè Diœcesium, ut ad ipsorum quærelas hac in parte provideatur, præsertim intervenientibus, si opus sit, Fiscalibus Regiis.

XV. Confirmatè ad hoc Edictum, solent Parochi pro taxatione portionis congruæ offerre libellum supplicem Ordinario; quâ taxatâ si Decimatores eam dare recusent, pro executione ejus quod Ordinario sive Vicario ad Senatum Regium recursum habent: quem similiter institunt, si ipse Ordinarius recuset, vel sit in mora providendi de portione congrua: seu competentia, vel nullam assignando; vel assignando talem, quæ omnibus attentis congrua seu competens non creditur: quo casu petitur, ut saltem per provisionem portio congrua per Judices Regios assignetur, & adjudicetur.

XVI. Et quidem hæc sententia provisionalis (ait Broudeau loco citato) manet & executioni mandatur donec per tres sententias conformes coram judice Ecclesiastico petitorium plene fuerit evacuatum: & hæc est, ait, praxis Curia, pluribus arrestis confirmata: notatque, Officiali Curia Ecclesiastica fas non esse, pendente petitorio, Vicario minorem portionem assignare per provisionem, quam Judex Regius assignaverat: & ita judicatum 12 Feb. 1637.

XVII. Non solet hodie super portione congrua coram judice Ecclesiastico petitorium institui; sed re in possessorio decisâ, consuevit plenum effectum sortiri: tum quod causa in petitorio ob varias appellationes & tricas in annos plurimos protrahi possit; tum quod in ipso possessorio omnia merita causæ ita solemnt discutiri & examinari, ut vix aliquid super sit in petitorio producendum vel allegandum, quod non fuerit in possessorio productum & allegatum; tam circa ea quæ juris sunt, quam facti.

XVIII. Cùm cognitio de decimis infensatis hodie privativè etiam quoad petitorium spectet ad Tribunalia Regia, ut supra cap. 5. notatum est, & portio congrua ex decimis infensatis desumenda, sit quasi pars illarum decimarum; consequenter & cognitio de portione congrua quæ præteritur ex decimis infensatis omnimodè devoluta est moribus nostris ad Tribunal Regium; nec potest Judex Ecclesiasticus ullatenus cognoscere de congrua portione, si Decima è quibus portio petitur, à Laicis possideantur, & infensata esse præterantur. Vide latè Broudeau ad Lovetium loco citato. Et Rebussum tract. de portione congrua q. 7. ubi asserit, quod anno 1557. remissa fuit causa ad Judicem Regium, cujusdam Curati, qui petebat Decimas coram Judice Ecclesiastico & portionem congruam, à quo fuerat appellatum tamquam abusu, dicens Decimas esse infensatas, & abusivè judicatum decrevit Curia. Plura arresta similia notat Tournier, litt. P. cap. 108.

#### CAPUT VIII.

De Domo Pastoralis; an sub Portione congrua comprehendatur; & cui onus etiam extruendi & reparandi incumbat?

1. Habitatio venit nomine alimentorum.

2. Paro-

1. Parocho de convenienti habitatione providendum.
2. Ratio quæ suadere videtur eam sub portione congrua comprehendendam.
3. Spectat a natura portionis congruæ merito dubitatur, an domus Pastoralis comprehendatur.
4. Ratio dubitandi.
5. In taxatione congruæ portionis non solet comprehendendam domus Pastoralis; neque obligatio illam solvendi, infert obligationem solvendi hanc.
6. Consuetudo locorum varia est quoad personas huic oneri subjectas.
7. In locis olim Episcopo Leodiensi subjectis onus extruendi domum Pastoralem incumbit incolis.
8. Decretum Archidiaconatus Hasbania de hoc onere.
9. In Gallia sæpius judicatum ad Parochianos spectare primam domus Pastoralis extruendam.
10. Hodie in Gallia videtur onus illud portionis partim Parochianis partim Decimatoribus incumbere.
11. Domus Pastoralis consideratur ut appendix Ecclesiæ Parochialis.
12. Hinc condemnatus ad reparandam Ecclesiam præteritur condemnatus ad reparandam domum.
13. Consequenter reparatio domus ipsæ Legibus regitur quibus reparatio Ecclesiæ.
14. Edictum Regium de onere extruendi & reparandi domum Pastoralem in Flandria.
15. In Edicto videntur ab hoc onere eximi Incola.
16. Reparatio domus & reparatio Ecclesiæ conjunguntur.
17. Edictum supponit utramque reparationem ipsæ legibus regi.
18. Si Edicta super reparatione Ecclesiarum servari debeant in reparatione domus, rectè dicitur onus hujus reparationis ad Decimatores pertinere.
19. Circa onus hoc quid attendendum.
20. Quid in extruendo domus circa formam considerandum.
21. In hac materia summarè & per provisionem procedendum.
22. Id ipsum rectè in Gallia declaratum.
23. Pastores ad reparationes sue domus quomodo teneantur.
24. Decani Rurales Domus Pastoralis visitare; & Parochos ad reparationes necessarias cogere debent.
25. Parochiani etiam domum visitare possunt, si eis onus reparandi incumbat.
26. Si Parochus reparationes neglexerit, heredes ad eas tenentur.
27. Parochi in domo ejusque suppellectile moderationem Clericalem servare debent.

**D**E domo Pastoralis in jure nihil speciale cautum reperio; hoc scitur, habitationem inter vitæ corporalis necessaria computari; unde & jam pridem à jurisconsulto Javoleno in L. 6 ff. De Alimentis legatis dictum est; legatis alimentis non tantum cibaria & vestitum, sed & habitationem deberi. Rationem addit: Quia sine his alii corpus non potest.

II. Hinc consequens est, quod ubi præcipitur, Parocho de alimentis aliisque ad sustentationem corporalem necessariis esse providendum, etiam unâ præcipiatur, provideri debere de convenienti habitatione sive domicilio.

III. Unde & videri posset, habitationem seu domicilium partem esse portionis congruæ, sive sub portione congrua esse comprehendendam.

Cùm enim portio congrua debeat esse sufficiens ad honestam sustentationem Parochi sive Vicarii; non ap-

paret, quod futura sit congrua seu competens & sufficiens, nisi & ipsam habitationem Parocho ad eum necessariam complectatur.

Hinc & ulterius concludendum apparet, quod hi quibus onus solvendi portionem congruam incumbit, etiam teneantur, Parocho seu Vicario congruam & competentem habitationem procurare.

IV. Verùm si propius naturam portionis congruæ attendamus, prout hæc tum in Canonibus & Synodis, & etiam Regiis Edictis, tum in ipsa unionum vel incorporationum formulis exprimi & reservari consuevit, non sine fundamento dubitari poterit, num sub portione congrua extruendo domus pastoralis, vel assignatio habitationis comprehendatur; eatenus nimirum, ut hi quibus solutio portionis congruæ injungitur, unâ teneantur ad extruendam illius domus.

V. Sive enim Canones & Synodorum Decreta, Regiæque Edicta, sive formulam reservationis portionis congruæ inspicimus, patebit, portionem congruam ita reservari ut è proventibus Ecclesiasticis solvatur Parocho annuè tantum, quod Rectoris ac Parochiæ necessitati decenter sufficiat. Unde & plerumque videmus in Synodis & Edictis Regiis, certam summam annuè persolvendam pro competentia Pastoralis sive portione congrua assignatam.

Potro hæc summa sive portio annuè pendenda commensurari solet necessitatibus quotidianis ipsius Rectoris & Parochiæ; ut nimirum ex illa habeat honestam sustentationem, & oneribus sibi incumbentibus satisfacere queat.

Inter has autem quotidianas necessitates, aut onera Parocho incumbentia numerari nequit extructio domus Pastoralis; quia hæc non quotannis recurrit; neque aliqua summa annuè persolvenda faciendâ est; sed una constructione oneri illi in multos annos satisfieri solet; idque nonnumquam tam notabilibus impensis, ut plurimum annorum proventus decimarum integri vix sufficerent: quo contingeret, ut Capitula, & Monasteria aliaque corpora Ecclesiastica decimas possidentia subito quasi opprimerentur; aut certè a re alieno se nimium gravare deberent.

VI. Hinc indubiè contingit, quod portio congrua ita determinari solet, ut sub ea domus Pastoralis non comprehendatur. Unde ex obligatione solvendi portionem concludi non posse videtur obligatio extruendi domum pastoralem; sicuti neque ex eadem obligatione concluditur obligatio reparandi Ecclesiam; tametsi portio congrua debeat esse talis, ut Rectoris ac Parochiæ necessitati decenter sufficiat, ut loquitur Synodus Trident. sess. 24. c. 13. De Refor.

VII. Sicuti ergo reparatio Ecclesiarum pro varia locorum consuetudine, nunc ad Parochianos, nunc ad Decimatores, & frequenter ad utroque quadam portione servata, translata est; uti supra tit. 16 c. 5. notavimus; ita & onus extruendi domum Pastoralem pro varia locorum consuetudine alibi parochianis, alibi decimatoribus, alibi utrisque incumbit.

VIII. Et quidem in locis quæ ante erectionem novorum in Belgio Episcopatum fuerunt sub Diœcesi Leodiensi, onus hoc incumbere solet incolis sive communitati: eo quod consuetudo istius Diœcesis onus illud in communitatem rejecerit; atque propterea etiam postquam ab ea Diœcesi separata fuere, manserunt huic oneri subjecta.

IX. De hoc enim onere inter Statuta Archidiaconatus Hasbania, qui ad has partes præcipuè extendebatur, legitur: "Teneretur etiam Communitas suo Pastori ad procurationem & assignationem fundi, seu hereditatis dotalis juxta Ecclesiam Parochialem, aut saltem intra villam, eamque liberam, ac in eadè extruere domum honestam & commodam, cum coquina, cubicu-